

quoque supra portam Tiburtinam (VI 1190), legebatur supra porta Portuensi (diruta anno 1645) quamdiu stetit (VI 1188) nisi quod in hoc nomina Stilichonis et Longiniani erasa vel certe rasura temptata fuisse tradunt auctores, in exemplo portae Tiburtinae funditus excisa sunt verba ex suggestione v. c. et inlustris com. et mag. utriusq. militiae Stilichonis, et mox curante Fl. Macrobo Longiniano. Factum id esse apparet a. 408, post caedem Stilichonis et Longiniani. — Longinianus idem est ad quem Symmachus dedit epistulas 7, 95—101; Stilichonis titulos dabimus infra inter senatorios. — Titulus positus est, cum ob metum belli Gothicorum urbis Romae restituerentur (Claudian. de VI cons. Hon. 529 seq.), anno ut videtur 401 vel 402, certe non multo post, cum Theodosius alter ad imperium evectus a. 402 non commemoretur. — 1) De hac murorum ab Aureliano conditorum restitutione conferendus est Iordan top. I 1 p. 541.



798 imppp. clementissimis felicissimis toto orbe victoribus, ddd. nn[n]. Arcadio Honorio Theodosio Auggg.¹ ad perenne indicium triumpho[rum], quod Getarum nationem in omne aevum doc[u]ere exti[ngui]², arcum cum simulacris eorum tropaeisq. decora[tum] s. p. q. R. totius operis splendore

Romae in arcu quodam: semel descripta ante saec. IX, quod apographum exhibent et codex Einsidensis saec. IX et ex simili codice derivatum per Poggium multi codices saec. XV (VI 1196 cf. p. X). — 1) Theodosius iunior purpura induitus est d. 2 Feb. 402, Arcadius mortuus a. 408. — 2) docere exti traditur. — Pertinet titulus ad victoriam a. 405 a Stilichone de Radagaiso reportatam.

799 fidei virtutiq. devotissimorum | militum domnorum nostrorum | Arcadi Honori et Theodosi | perennium Augustorum, | post confectum Gothicum | bellum felicitate aeterni | principis domni nostri Honori, | consiliis et fortitudine | inlustris viri comitis et | (versus duo scalpro abrasi)¹ | s. p. q. R., | curante Pisidio Romulo v. c.² | praef. urbi vice sacra | iterum iudicante.

Romae rep. a. 1880 in foro ibi prope ubi fuerunt Rostra (Eph. ep. 4, 849 descr. Henzen). In margine sunt litterae ad hanc inscriptionem non pertinentes ΧΑΛΦ. — 1) Erasa sunt nomina honoresque Stilichonis. — 2) Idem praefectus memoratur in titulo Stilichonis infra edito; videtur esse idem cum Romulo ad quem Symmachus litteras nonnullas dedit (cf. Seeck Symm. p. CXCVIII). Titulus pertinet ad victoriam a. 405 de Radagaiso reportatam.

800



Honori, Maria, Stelicho, Seryna, vivatis!
Stelicho, Serena, Thermantia, Eucher, vivatis!